



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Zamorensi Et Portvgalensi Episcopis, & magistro Florenti Archidiacono  
Zamorensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**



**EPISTOLARVM  
SIVE  
REGESTORVM  
INNOCENTII III.  
ROMANI PONTIFICIS  
LIBER DECIMVS SEXTVS.**

*ZAMORENSI ET PORTVGALENSI EPISCOPIS,  
& magistro Florentio Archidiacono Zamorenſi.*

Epist. 1.  
De limitatione  
episcopatum  
Egitani & Co-  
lumbriensis.



ENERABILIS frater noſter Columbriensis Epifcopus in noſtra proponuit preſen-  
tia conſtitutus quod cūm olim Auriensi Epifcopo &  
ſuis conjuſdicibus noſtri dederimus lit-  
teris in mandatis ut univerſa in quorū  
poſſeſſionem per Cauriensem & Civitaten-  
ſem Epifcōpos venerabilis frater noſter Egitaniensis Epifcopus fuerat adverſus  
eundem Columbriensem inductus, vel eo-  
rum occaſione auctoritate propria occupa-  
rat, ipſi Columbriensi cum fructibus me-  
diij temporis reſtitui facientes, ſupplerent  
ſi quid per ipſius Egitaniensis malitia de-  
fuſile conſararet executioni ſententiae pro  
eodem contra Egitaniensem eundem arbit-  
rali examine ſuper reſtitutione fructuum  
promulgatae, ad limitationem epifcopa-  
tuum quam citò poſſent ſub omni diligen-  
tia proceſſuri, prediēlus Auriensiſ & ſui  
conjuſdices ſuper reſtitutione facienda vi-  
ces ſuas Abbati de Sertia & ſuis confocis  
comiſſerunt, limitationem epifcopatum  
ſpecialiter reſervantes. Poſſeſſionibus

itaque per eundem Abbatem & ſuos colle-  
gas Columbriensi Eccleſiae reſtitutis, iđem  
judices dictum Egitaniensem, niſi fructus  
omnes mediij temporis ad plenum reſtitue-  
ret infra terminum ad hoc ei präfixum,  
excommunicationis vinculo innodarunt,  
contradictores censura ſimiли percellentes.  
Transacto vero termino infra quem Egita-  
niensis Epifcopus eidem debuerat parere  
ſententiae, ipſius contumacia exigente pro-  
lata prius ſuă conditione ſententia fuit,  
poſtmodum präciſe & ſimpliciter innova-  
ta. Partibus ſanè à delegatis noſtri prädi-  
catis interim convocatis, procurator Colim-  
briensis Eccleſiae & pars altera ad hoc ad  
ultimum convenerunt ut idem Colim-  
briensis in poſſeſſione quam per memoratum  
Abbatem & ſuos collegas fuerat aſſe-  
cutus, non obſtant modo proceſſus, vi-  
delicet ſive juſte ſive injuſte proceſſerint,  
tunc pacifice permaneret, ſi tamen ea re-  
ſtituta fuſſent qua ſecundum mandatum  
apostolicum reſtitui debuerant hinc inde;  
ſubtractione vel ſupplerione nihilominus  
facienda, ſi fuſſet aliiquid quoad poſſeſſi-

Z Z z z iii

siones plus vel minus debito restitutum. Pro restitutione verò fructuum idem Egitanensis obligavit ablantes, hoc tamen adhibito, quòd si cautio illa insufficiens viseretur, secundum delegatorum ipsorum caveret arbitrium per pignoratitiam vel fiduciariam cautionem. Praefixo quoque termino quo se partes corundem judicum conspectui presentarent, propter discordiam quæ inter carissimos in Christo filios nostros Portugalensem & Legionensem Reges excreverat, idem Colimbriensis quòd neque per se neque per procuratorem idoneum apud Auriam poterat proficisci per quandam nuntium ferè nudum iudicibus intimavit. Ipsi verò eundem Colimbriensem in mille ac sexcentis solidis moneta Legiōnē expensarum nomine condemnarunt, & aliás procedentes minus legitimè contra ipsum, episcopatus non sine Colimbriensis Ecclesie præjudicio post appellationem legitimam limitarunt. Quia propter idem postulabat instanter processum judicūm corundem tam super expensis quam limitibus irritari. Nos autem considerantes utrique partium expedire ut non secundum rigorem justitiae, sed secundum æquitatis prvidentiam in isto negotio procedatur, discretioni vestrae per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus apud vos possessionibus sequestratis, Egitanensem Episcopum, ut Colimbriensi fructus juxta formam alterius nostri mandati restituat, vel de restitutione facienda sufficientem prester & idoneam cautionem, monitione præmissa, distinctione qua convenit, appellatione postposita, compellatis, & sic auditis, & intellectis qua partes hinc inde duxerint proponenda, si vobis constiterit quòd Auriensis Episcopus & sui conjudices prvidè dioecesis prædicorum episcopatum limitarint, faciatas eas auctoritate nostra secundum illum modum manere perpetuò limitatas. Alioquin tam per testes, instrumenta, & famam quam antiquas divisiones & quæcunque alia adminicula, inquisita & cognita veritate, plenius ipsos episcopatus, folium Deum habentes pra oculis, limitetis, facientes quod decreveritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Ceterum si prænominatus Colimbriensis de legitimo impedimento docuerit propter quod Auriensis Episcopi & conjudicūm ejus conspectui se nequivent præsentare, vos eum absolvatis à pena qua propter contumaciam per illos exitit condemnatus. Alioquin ipsum in legitimis & moderatis expen-

sis, quas pars altera fecit in causa ex quo idem Colimbriensis cœpit laborare contumacia, condemnatis. Proviso prudenter ut Colimbriensem Episcopum super possessionibus laicalibus quas in Comilano & in ejus terminis legitimè acquisivit non patiamini ab aliquo indebet molestati. Quod si non omnes &c. duo vestrum &c. Vos denique, fratres Episcopi, super vobis ipsius &c. Datum Laterani v. Kal. Martij, pontificatus nostri anno sextodecimo.

## REGI ARMENIAE.

**I**Nviti ac dolentes tibi negamus apostolicę salutationis & benedictionis allo. quiū, cui benedictionem & salutem aeternam in Domino affectamus. Verum id expoſit tuorum excessuum magnitudo; quia cum devotum ei deberes impendere facultum qui te ad regni solium sublimavit, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, commissum tibi ab eo gladium exercendo, tu illum conversione damnabili convertens in viscera Ecclesie matris tue, nuper, ut ad præsens alia tecumus quæ nobis sunt de tuis actibus saepius nuntiata, in Ecclesiam & populum Antiochenum tantæ immunitatis atrocitate violatis treugis & regia promissione prohibita defavili ut ad confusionem tuam non possit in memoriam non redire quod legitur: *Vnusquisque a suo proximo se coidat, & non habeat fiduciam in quolibet fratre suo; quia omnis frater & proximus separabit, & studebit incedere frāndulēt.* Sicut enim ex litteris venerabilis fratri nostri Patriarchæ Antiocheni & multorum aliorum nobis innotuit, cum treuge inter te ac Antiochenos prefatos per ipsius Patriarchæ studium factæ fuissent & juramento firmata, tuque promisso quod eas inviolabiliter bona fides servares inquit ad terminum constitutum, super hoc litteras eidem Patriarchæ bulla munita regia destinasse, tandem oblitus quantum habere debeat regalis promissio firmitatem, quantumque sit indecens & nefarium hujusmodi pacis aut treugarum federa violare, in terram Antiochia Rupinum nepotem tuum videlicet in cum non parvo exercitu transmisisti; qui terram imminutam, utpote nihil hostile metuentem, ingressi, non solum civium, sed & Ecclesiarum casalia, supergressi levitatem paganorum, redegerunt in circumferentem & favillam, & flagitis quæ recitare nec libet nec expedit perpetratis, pradam valentem centum millia Byzantiorum & amplius abduxerunt. Prius etiam quædam